Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

IIII

pe remissionem sed secundum
formam communem et generale
racionem institucionis huius
sacramenti dicendum quod istud
sacramentum datum est viuis
bonum illis qui sunt de corpo-
re mistico et omnes tales ha-
bent caritatem ideo effectum
habet in solis istis ¶ Effectus
autem huius est liberacio a ve-
niali et preseruacio a mor-
tali vt supra patuit hec
Bonauentura ¶ Utrum
hoc sacramentum prosit tantum
sumentibus ¶ Respondeo
non sed et alijs de quibus sicut
dictum est hoc sacramen-
tum non tantum est sa-
cramentum sed etiam sacri-
ficium ¶ In quantum enim in
hoc sacramento represen-
tatur passio cristi per quam
cristus obtulit se hostiam
deo patri vt dicitur ad Ephe-
sios v°. habet racionem sa-
crificij sed in quantum in hoc
sacramento traditur inuisibi-
lis gracia sub visibili specie
habet racionem sacramenti
¶ Sicut enim hoc sacramentum
prodest quod sumentibus offer-
tur dicitur enim in cano-
ne misse quotquot etc. Gracia
repleamur sed alijs qui non
sumunt prodest per modum
sacrificij in quantum pro eorum
salute offertur Unde et in
canone misse dicitur memen-
to etc. vsque incolumitatis sue ¶ Et
vtrumque modum perficiendi

dictis exprimit Mathei xxvi
¶ Qui pro nobis scilicet sumen-
tibus scilicet et alijs effundetur
in remissionem peccatorum hec
Thomas ¶ Utrum hoc sa-
cramentum habeat suum effec-
tum in omnibus pro quibus
offertur ¶ Respondeo non ¶ Nam
sicut passio cristi prodest quidem
omnibus ad sufficienciam
quantum et remissionem cul-
pe et adepcionem gracie et
glorie sed effectum non ha-
bet nisi in illis qui passioni
cristi coniunguntur per
fidem et caritatem ¶ Ita etiam
hoc sacramentum est memo-
riale dominice passionis
et non habet suum effectum
nisi in illis qui coniungun-
tur huic sacramento per fi-
dem et caritatem Unde Au-
gustinus dicit ad Renatum
¶ Quis offerat corpus cristi
Unde etiam in Canone mis-
se non oratur pro hijs qui
sunt extra ecclesiam ¶ Illis
tamen prodest plus vel mi-
nus secundum modum deuo-
cionis eorum hec Thomas
¶ Utrum sumere plures
hostias consecratas simul
in eadem missa magis pro-
sit sumenti vel etiam illis
pro quibus sunt oblate quam
sumere tantum vnam ¶ Re-
spondeo non nam sumpcio
pertinet ad racionem sa-
cramenti sed oblacio per-
tinet ad racionem sacrificij etc.